DISPUTATIO MEDICA

QUÆDAM

DE

PHTHISI PULMONALI

COMPLECTENS.

AUCTORE GUALTERO D. JONES.

PROŒMIUM.

Siquidem instrumenta spirandi longe sæpius Britannis, quam alia viscera, morbis implicantur, et vitiosa omnium difficillime sanantur; nec parva caligine malorum, quibus patent, curatio versatur, æquo ferendus est animo et candide audiendus, quicunque luctuosissimum istud, cui nomen *Phthisis Pulmonalis*, vel leviter illustrare conetur. Lugendum est, hanc diram pestem adhuc quasi ef-

Edinburgh 1814



frænam sævire, et optimis nobilissimisque ingeniis continenter fatum inferre, nihil valentibus acerrimis et scientissimis medicis, qui omni ævo ejus ortum aut remedium frustra quæsiverunt. Parum sane convenit inter medicos de hac re; alii aliter senserunt; imo vero eo sunt hallucinati, ut sententiæ inter se penitus contrariæ prodierint: unde suspicari licet, curationem optimam et valentissimam hucusque desiderari. Nihil profecto majoris interest medicorum perscrutari et cognoscere, quam hunc generi humano infestissimum morbum; qui pleraque millia Britannorum quotannis enecare solitus, parentes natis, maritos uxoribus, crudeliter orbat, luctuque terras implet. Nulli eheu! remedio medicabilis, vel nostris temporibus, extat; et optime jure inter opprobria medicorum habetur.

"——— Quis talia fando
Temperet a lachrymis?"——

Quod si quis secum animo volvat, hanc terribilem pestem, dum neutri sexui parcit, potissimum tamen ingenio, et forma insignibus, summis animi dotibus exornatis, et juventa florentibus contingere, nequibit non eniti, ut malum tam funestum radicitus divellatur, certeve non increscat, et quam minime pateat. Si fides tabulis solennibus Londini editis habenda est, quarta pars omnium adolescentium, qui ibi ætatem agunt, hoc malo crudeli absumitur; idem porro tanto plures torquet et occidit hyeme, quam æstate, quanto numerus IX. exsuperat V. Neque vero accuratione subtili conscribuntur hae tabulæ; quorum enim est eas componere, ii rei medicæ fere ignari, omnes tabe, undecunque orta, consumptos, proposito morbo succubuisse proponunt. Freti tamen Gulielmo Heberden, medico præclaro, minime dubitamus, quin nuperis annis vehementer increve-

rit.[1] Nec desunt alia documenta eodem pertinentia. Apud Holycross[2] in agro Salopiensi, et Ackworth[3] in agro Eboracensi, longe plures nuper, quam olim necuit. Si igitur concedatur, quadrantem fere omnium nostratum, qui domi emoriuntur, *phthisi pulmonali* perire; quotannis vero quadragesimam partem

---

[1] "The following statement was deduced from an *average* of *ten years*, for the purpose of comparing the mortality occasioned by certain diseases at the *beginning*, *middle*, and *end* of the seventeenth century.

	Beginning.	Middle.	End.
Abortive and Still-born, ...	600	570	750
Consumption, ...	3000	4000	5000
Dropsy, ...	850	900	900
Fever, ...	3000	3000	2000
Gout, ...	26	40	66
Palsy, Apoplexy, ...	157	280	300
Rickets, ...	380	11	1

Vid. Heberd. on the Increase and Decrease of Diseases.—Confer etiam, Comparative View of the Mortality of the Human Species, by W. Black, M. D.

[2] Philosoph. Transact. vol. 52.

[3] Price on Reversionary Payments, p. 375.

5

populi spiritum extremum trahere, constabit singulis annis istam quinquaginta et quinque millia hominum mactare.[1] Sydenhamius ille sagacissimus, qui sæculo decimo septimo circiter medio floreret, et jure id temporis medicorum princeps haberetur, alicubi scribit "morbos chronicos tertiam fere hominum partem necare," et alibi "Phthisin Pulmonalem duo fere trientes eorum, quos morbi chronici jugulant, interficere." Docemur usu et auctoribus permultis fide dignissimis, eandem ab iis temporibus ad hunc usque diem continenter novas sibi vires adscivisse. Gregorius celeberrimus hæc verba huc attinentia habet: "pauci sunt, quibus cognati, familiares, aut amici, hac peste abrepti, non sunt lugendi. Misera hæc tabes, sæva, atrox, et insensibilis, teneros et amabiles depascens, cæde et luctu patriam implet."[2]

---

[1] Woolcombe on the Frequency and Fatality of Diseases, p. 73.

[2] Vide Gregory Dissertat. Inaug.

Quum satis demum innotuit hoc "Angliæ flagellum" assidue et sensim, instar anguis, magis magisque per populum grassari, non oportet medicos inani se spe ludere cujusdam remedii nobilis et hucusque celati reperiendi; at potius summa ope niti, ut causas, unde nascitur et continenter increbrescit, patefaciant; eoque aut ei venturo occurrant, aut confirmatam devincant.

DE DEFINITIONE.

Cullenus hunc morbum *Hæmoptysi* subjecit, uti ejus *sequelam;* ideoque classi *pyrexiæ* et ordini *hæmorrhagiæ.* Non sine idonea verecundia tanti viri sententiæ adversor. Rarius equidem *hæmoptysis phthisin* pulmonalem antecedit; imo vero, hæc illam sæpe infert, rosis nimirum pulmonis vasis. Neque vero iis assentior, quibus placet, semper ita

rem se habere. Credo enim interdum sanguinis sputum prægredi. Phthisis Pulmonalis equidem morbus est tam proprius frequens et exitiosus, ut optimo jure *genus* haberetur; ejus præcipuum signum ‘marcor’ talem locum ei adscisceret. Parum lucide quoque Cullenus duas partes hujus morbi, *species* nominavit. Longe satius foret *species* e causis deducere; et quoniam pleræque e noxis excitantibus, tuberculis exasperandis aut faciendis, hunc morbum moliuntur, constat *Phthisin tuberculosam* speciem esse multo maximi momenti: ad quam præcipue pertinebunt ea, quæ sum conscripturus. Hisce verbis Cullenus Malum propositum definivit: “Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta.”[1] Duas ei species subjecit; quæ sunt,

“1. Phthisis incipiens, sine expectoratione puris.”

---

[1] Vide Cullen. Synops. Nosolog. Methodicæ Gen. 36.

"2. Phthisis confirmata, cum expectoratione puris."

Rite morbum confirmatum definivit; siletur vero de ejusdem ineuntis signis. In animo est inter signa describenda, duplicem habere distributionem; imprimis nempe notas pulmonis adhuc inflammati, deinde eas ejusdem exulcerati proponere. Nomen hæc valetudo ab indicio principe, 'tabe' accepit; quod a Græca voce φθίω 'tabesco' deducitur. Cum vero tabes aliunde nasci potest, accedit 'Pulmonalis' ad sedem mali et causam insigniendas. Exoptandum est ut uniuscujusque morbi nomen ejus naturam et sedem designaret. Quo perspecto, morbum propositum "Phthisin Tuberculosam" nominabo.

DE SIGNIS.

Phthisis Pulmonalis proprie morbus Britannicus habita fuit: eo quod necem crebèrrimam nostratibus facessit. Omnibus tamen regionibus subest, quibus cœlum varium, et subito ex ardente frigidum, aut ex frigido ardens, contingit. Multo sæpius homines male habet, qui annum quintum decimum expleverint; at raro annum quadragesimum quintum transgressos. Intra quas ætates fere sunt, quos aggreditur. Nonnunquam profecto, at rarius, impuberes enecuit. Accedere consuevit Vere et Autumno. Hyeme ingravescit; æstate mitescit. Jove autem malo redeunte, relabitur, viribus redintegratis. Idem de struma dici potest; cujus adinstar quoque, *phthisis* per insidias et sensim obrepit. Alio tempore aliis finitur: quibusdam quatuor

mensibus; aliis non nisi anno uno vel duobus elapsis, occidit: pröut varient ætas, vires et indicia. Paucissimi duodecim aut viginti annos notis ejus levioribus ægrotarunt, denuo perituri. Hæc præfatus, signa quam brevissime explicabo.

De signis inëuntibus. Prima fere nota est tussis crebrior et sputi expers; quæ hora vespertina increscit, et demum usu inveterascit. Huic accedunt sensus gravitatis aut ardoris ossi pectoris incumbens, spiritus difficilior et incitatior quam valetudine integra, præcipue inter ambulandum, et vox suspiriis quasi interjecta. Dolet quoque subinde latus; quodque latus laborat, in id æger difficulter cubat. Dolor porro capitis torquet; cutis incalescit; nec raro simul artus vesperi inhorrescunt. Eodem tempore vires labuntur; piget ægrum moveri; cibi fastidiuntur; languet animus. Tussis non multum adaugescit: Ei vero adest

sensus quasi alicujus rei fauces titillantis, et vox rauca; quæ pauxillo pituitæ excreato leniuntur. Si æger in acclivi loco ambulat, crebro quiescere, quo melius anhelet, cogitur. Alvus longe sæpius tarda et tormina exercent. Arteriæ inter hæc durius et citius moventur, præsertim moto corpore; et digito subsiliunt, haud secus atque nervus intentus. Oculi hebetantur; vultus pallet et demittitur. Lingua fere sorde candida aut subflava squalet; et cibi jam accepti evomuntur. Urina redditur diluta et pallida, et multa. Sanguis nunc vena incisa missus tunicam corio similem, inflammationis propriam, exhibet.

Hæc mala sæpe diutius trahunt, nec leviora, nec acerbiora. Æger simul, frigore admoto, facilius patitur. Interdum tam leviter angunt, ut pæne ipsum ægrotum et ejus familiares lateant; vel ad lenem *catarrhum* referantur. Quem frustra tollere conati, et dein dolore pectoris acutiore sputoque sanguinis

perterriti, demum quid mali instet perspicere incipiunt, et rationes præcavendi experiuntur.

De mali confirmati signis. Inëunte hac parte morbi propositi, notæ magis terrentes superveniunt. Pectus acutius dolet. Tussi vexatus infelix noctu vigilat; pus extussitur spumans, sæpe cruentum et viscidum. Tempore matutino homo plus et facilius excreat; et malo provectiore non raro libra una ejicitur intra unicum diem. Pus subviride aut flavum, et ad finem cæsium prodit; tum quoque facilius expuitur, et frequenter non sine cruore spumante. Arteriæ nunc, aliter atque principio, micant temperate et molliter, aut vix tardius. Ardor in *febrem hecticam*, mox describendam, abit; anhelitus fœtet; æger spirat, haud aliter atque *asthmate* leviter implicitus; et inter dormiendum anhelat crebro, nec sine sonitu tussis eo pectoris do-

lorem exasperat, ut æger vix spiritum trahere audeat. Vires concidere perstant. Collabitur vultus; oculi sidunt, et instar margaritarum expallescunt et splendent. Malæ prominent, et nasus acuitur. Quæ omnia adipem resorptum et corpus non alitum testantur. Interdum, sed rarius, cum pure corrupto extussiuntur calculi vel materiæ carnosæ.[1] Demum ingravescente morbo, febris *hectica* intenditur. Corpus sudore matutino crassiore defluit, et vires plus franguntur. Miser insigniter emacrescit; ungues adunci cadunt: Decidunt porro capilli. Adhuc cibi appetuntur, et quodammodo concoquuntur. Respiritus brevis fit, ob dolorem, qui pulmonem ampliari non patitur. Æger fere in latus sanum, et sæpius in dextrum cubat; nec raro supinus, cruribus reductis, et elatis genubus. Si diutius in unum latus decumbit, coxa sæpe

---

[1] Vide Alex. Trallian, lib. v. cap. 4. Hist. viri qui calculum expuit..

exulceratur, os pene cutem transfigit; imo ipsa gangræna sequitur. Denuo sudoribus et ardoribus inclinatis, in multo pejus omnia ruunt. Alvus, quæ insudante cute torpuerat, nunc resoluta continenter fluit, ingestis protinus dejectis; adeo ut parum *chyli* fieri, aut factum absorberi possit. Dejectiones demum fœtidæ infelicem labefactant, vana spe salutis rediturae, abëunte sudore et febre, erectum. Interdum vicissim occupant alvi fluxus et sudores. Tument aqua inter cute manus et pedes; et anima ægroto assurgente e lecto, persæpe deficit. Vesperi sonant aures, et hominem loqui piget. Lingua nunc nitet et rubet, *apthisque*, quas græci vocant, efflorescit. Iisdem obducuntur os totum et fauces. Eo extenuantur vultus et omnia membra, ut infelix vix ipsis familiaribus sit notus. Adeps, carnes, tela *cellularis*, ipsa vero ossa quadam ex parte evanescunt. Arteriæ nunc moventur centies et tricies, vel etiam centies et quin-

quagies, quaque sexagesima horæ parte. Paulo ante spiritum extremum, earum motus vix sentiri potest: et fere prius conquiescunt ad unum, quam alterum carpum. Oculi ad finem caligant; æger delirat, et aliena loquitur; quæ fatum in propinquo denunciant. Sputum cessat; frigent artus; urgent distentiones nervorum: stercus et urina præter voluntatem elabuntur: oculi circulis atris cinguntur; et mors tantis miseriis finem imponit.

DE FEBRE HECTICA.

Febris *hectica* est febris remittens, quæ binas habet quotidie accessiones; unam meridianam fere, remissiorem futuram hora quinta pomeridiana; alteram vespertinam, mox inde venturam, et longe incitatiorem. Hæc perstat exardere, usque ad mediam noctem,

vel paulo diutius; et hora circiter secunda tertiæ vigiliæ noctis inclinari cœpit, et sensim conquiescit et decedit, adventante aurora. Accessiones, præsertim vespertina, ex horrore membra permeante incipiunt; æger sibi frigere videtur, cute simul æstuante. Dein malæ, et interdum alterutra sola, rubore exiguo, quasi macula, florent. Cibo jam accepto, et præsertim carnibus, graviter hæc febris accenditur, et singuli artus æstuant. Demum, morbo, quem prosequor, inveterascente, sudores accessionem vespertinam excipiunt; qui hora secunda tertiæ noctis vigiliæ ineuntes, usque ad auroram trahunt. Initio cervices et frons, dein sensìm totum corpus insudat. Tandem hi sudores increscentes diriore alvo fluente antea dicta mutantur. At febris *hectica* certæ legis expers non semper formam jam sibi relatam induit. Quibusdam, accessio vehementior matutina fuit, decessio meridiana, et accessio vespertina nulla, aut certe

mitissima. Plerisque, febris, etsi paulo remissior, vix unquam penitus conquiescit. Interdiu arteriæ non micant rarius quam nonagies aut nonagies et sexies intra sexagesimam horæ partem; et inter accessiones, centies et quinquagies aut septuagies. Dignum est notatu cibos minus fastidiri, et rarius evomi, hac quam alia febre occupante. Lingua nitet et rubet. Urina, confirmata hac febre, rufa excernitur; ex qua decidit natura crassa, multa, furfuri similis, vix unquam præceps ad imum lata. Vires simul admodum labefiunt; unde aqua intercute pedes intumescunt. Mens integerrima esse solet; nisi quod, fato mox venturo, labare cœpit, et delirium supervenit. Animus serenus et placidus futuri nunquam pavidus est: et sæpissime infelices perituri spe recidivæ bonæ valetudinis mulcentur. *Phthisis Pulmonalis* notis jam descriptis multo frequentius insignitur: quibus ordo sane non

semper idem: Nec desunt signa abnormia, de quibus silebo.

DE DIAGNOSI.

PERMAGNI interest hanc a quavis alia valetudine dignoscere posse. Jam iniens, *catarrhum* plus quam ullum alium morbum simulat; eoque potius, quod *catarrho* laboranti pituita excreatur, puri tam similis ut vix uter humor adsit, dicatur. Oportet igitur paulo fusius proponere, quibus notis pus a muco discerneretur. Præter igitur *catarrhi* indicia, nimirum, nares pituita farctas, gravedinem, et tabem et sudores deficientes, &c.; hæc novisse juvat. Nonnulli pus "album et æquale" esse definiunt. Pus aiunt in aquam conjectum præceps ferri, mucum innatare. Huic vero notæ plane non fidendum; pus enim

aëre et muco implicitum aquæ innatabit. Docemur periculis ab Everardo Home, Baronetto,[1] institutis, pus subalbum esse et opacum, et *microscopio* interposito, globos exiguos et candidos latice pellucido mistos exhibere; idem porro non magis spuma lactis fluere, et sapore fere vacare; gelidum nihil olere; at calefactum proprio odore nares offendere; non facile putrescere, ægre aqua frigida, facile calida, misceri. Pus *acido nitrico* adjectum effervescit, et dein quodammodo viridescit. Si *soda* sputo accedit, quadam ex parte inter se sociantur, et liquor fit lacti similis; cui *acidum sulphuricum* dilutum adjectum efficit ut pus, si adsit, dejiciatur, speciem sibi candidi pulveris induens; mucus autem supernatat, et floccos quasi exhibet. Mucus *microscopio* subjectus, e floccis constare videtur, at globos non sibi præfert. Idem fere

---

[1] On the Properties of Pus, p. 22.

pellucet, sapore salem refert, glutinosus est, et calefactus concrescit; pus nequaquam. *Murias ammoniæ* aqua liquatum pus, non mucum, coagulat. Pericula viri quoque ingeniosi Caroli Darwin[1] de hac re instituta, memoratu sunt digna. Si humor exputus *acido sulphurico* et quoque *liquore potassæ* solvitur, et utrique liquori aqua adjiciatur, pus utrique subest, modo aliquid subsidit. Si nihil demittitur, pus deest; et mucus tantum adest. Hinc patet sputum pulmonis exulcerati proprium, ab eo quod *catarrhum* denunciat, satis discerni posse. Imo vero *Phthisis* jam incipiens ab altero facile dignoscitur, perspectis tussi crebra nihil excreante, spiritu et motu arteriarum ambulando celeratis, corpore struma imbuto, et aliis ejusmodi.

Jecur vitiosum interdum propositum mor-

---

[1] Vide Experiments establishing a Criterion between Mucus and Pus.

bum retulit. At dolor jecinori insidens, et ad humerum dextrum ascendens, pus non exputum fere jecur, non pulmonem, laborare testantur. Quoties vero exulceratis membranis et septo transverso, abscessus huic insidens cum altero illi infixo committatur, quod interdum fit, dijudicare non poterimus ; nec, si possemus, utile foret, sub malo tam multiplici. Natura et dotes sputi, malum a tabe aliunde nata discernent.

Virgines *chlorosi* marcentes non raro *Phthisi Pulmonali* torqueri videntur. Menstrua vero illi deficientia, color cutis subviridis, et notæ hujus confirmatæ pene nullæ, satis vetabunt, quo minus fallatur medicus prudens. Menstrua, nisi Phthisi jam inveterata, non conquiescunt. Tussis *chloroticæ* varia sane, minus crebra tamen et incitata est, nec sputi prorsus egena. Dolores pectoris vagi exercent, et indiciis *hysteriæ* stipantur. Arteriæ parum concitantur, et pedes frigere consuerunt.

Vultus collabitur et viridescit, aut medium sibi colorem præfert inter viridem et flavum; ast malo proposito, læte rubet, exardente *hectica*, alias expallescit. Mens huic placida futuri impavida est; illi demissa pene desperat. Musculi pectoris *rheumatismo* impliciti morbum efficiunt, cui nomen *pleurodyne*. Interest inter eam et phthisin, quod huic dolor inspirando magis intenditur, at non, ut illi, manu premente ingravescit: porro quod illa febre *hectica*, tussi, sputo puris, aliisque huc attinentibus, penitus vacat.

DE PROGNOSI.

Omnia metum, fere nulla spem incutiunt; inter ipsa principia, et signis mitissimis, prudens medicus exitum infelicem præsagiet; eoque magis, si corpus gracile, florens et struma infectum implicatur; pulmonem enim

tuberculis obsideri jure suspicatur. Aliquanto minus in præcipiti versatur, cui morbus, quem prosequor, pulmoni inflammato sine tuberculis supervenerit. Perpauci sane, quod clarissimi auctores scriptis mandarunt, struma saturrimi et *Phthisin* trucissimam experti, convaluerunt. Id vero potius admirandum, quam sperandum. Quo magis sæviant notæ, eo plus metuendum esse constat. Si febris *hectica* effræna regnat, et æger sudoribus nocturnis alvoque fusissima, haud ullis auxiliis reprimendis, extenuatur, mortem non procul abesse, auguramur. Nec servari poterit, cui male olent anima et sputum; cuique hoc simul nigricat, oculi caligant, vires labant, et delirium mentem concidere denunciat. Spei locus non est, si pectus angustius quam fert natura, ægro contingit; nimirum, si os pectoris ultra debitum promineat, costæ minus elatæ sint, et spina dorsi distorqueatur. Ea enim *Rachitidem* praeivisse, eoque strumam

adesse, edocent. Insania interveniens *Phthisin* sustulit, recasuram tamen, mentis integritate recepta.

Res est notissima, mulieri in utero gerenti *Phthisin*, antea accerrimam, subito consopiri; id accidit fortasse, quia pulmo, sanguine ad matricem abundanter confluente, expeditur. Simul atque enim misera pepererit, recidiva *Phthisis* et gravissima, pede incitatissimo ad exitum lethalem properat. Neque memoria indignum est, eadem correptas facillime concubitu facto, concipere; et, præ viribus resolutis, sæpe abortum facere; qui omnia dira indicia exasperat.[1]

Quibusdam fœminis opitulatur infanti nato sua ubera, potius quam aliena, præbere. Hoc ne penitus sanare possit, parum compertum habeo. Cl. Gregorius inter prælegendum meminit quandam, quæ eo monente partum

[1] Vide Heberden Commentar. p. 179.

lacte proprio nutriverat, aliquamdiu inde levatam, postremo tamen in malum recidisse, et mortuam esse. Quædam diu huic morbo restiterunt, frequentius in utero gerendo.

DE CAUSIS PROCLIVITATIS GENETRICIBUS.

Præ cæteris ad hunc morbum propensi sunt indole *sanguinea*, quæ vocatur, aut *sanguineo-melancholica* a natura donati ; proceri quoque, graciles, angustiore pectore aut spina dorsi curva instructi : quibus simul vultus roseus et lubricus, malæ prominentes, cervix longior, humeri elati, cutis lævis, fibræ motrices irritabiliores, et genus nervosum sentiendi potentius, et struma contingunt, in eundem potissimum incidunt. Struma non minus, quam dotes animi corporisve sani, a parentibus ad natos transfertur. Quo fit, ut

Phthisis Tuberculosa quasi jure hæreditario ad serissimos nepotes descendat.

> " Qui viret in foliis venit a radicibus, humor,
> " Sic patrum in natos veniunt cum semine, morbi."

Struma vero infectus cognoscitur vultu pleno et rubicundo, venis cuti subjectis tumentioribus, oculis cæruleis, cæsarie rufa aut candida et molli, naso lato et minus eminente, labro superiore turgente, fibris flaccentibus, ventre tumefacto, glandibus vasorum absorbentium propriis, maximeque circa collum, ampliatis, et quæcunque alia ad robur deficiens pertinent. Dentes candidi et quasi splendidi, et pupilla oculi magis æquo patula [a] ad *phthisin* propensos insignire habentur. Foeminæ plus quam mares eidem patent; hi tamen signis pejoribus affligi, et citius absumi feruntur. Spinularii, Lapicidæ, Molendinarii aliique ar-

---

[a] Vide Darwin Zoonomia, p. 287, 4to.

tifices,[1] qui continenter cum spiritu acria in animæ fistulas trahunt, huic malo opportuni sunt. Cursus sanguinis e naribus unum est e primis indiciis hominis ad idem proclivis; quippe quod arterias æquo pleniores esse prædicat.

DE CAUSIS HUJUS MORBI APUD HODIERNOS INCRESCENTIS.

SEQUITUR ut eas causas inquiram et patefaciam, quæ effecerunt, et jam perstant efficere ut *Phthisis Pulmonalis* longe plures ex recentioribus, quam antiquis enecuerit, et jam nunc continuo increbrescat. Hoc, non nisi viribus diffisus, aggredior. Multi jure eam frequentiorem ad *Strumam* increscentem re-

---

[1] Rammazini de Morbis Artificum.

tulerunt. Hanc vero proponunt eo latius patere, quo amplius apud homines dispergatur et crescat imbecillitas et indoles delicata corporis. Nemo inficias ibit, quin *Phthisis* cum Struma arctissimo nexu committatur, Strumaque per hæreditatem ab avis ad nepotes transferatur. Necesse est tamen ut Struma ab origine, causa aliqua propria, quantulumcunque innotescat, enata esset. Hinc quærendum esse videtur, unde Struma potius recentiores et hodiernos, quam vetustiores, invaserit.

Res est satis nota, homines se labori, frigori et victui simplici dedere solitos, nempe arare, aucupari, venari; et ne multa, ita vivere, uti majores, genus rude, incultum et probum, vix Struma aut morbo proposito torqueri. Hinc suspicamur cultum et luxum hodiernos operam huc collocasse. Memoriæ traditur, hoc malum vix prius incolas Scotiæ septentrionalis visisse, quam Anglicani mores, vesti-

tus, victus, amissa libertate, subrepsissent.[1] Doctor Rush [2] nos certiores facit, idem apud Indos, Americæ aborigines, genus agreste, ferox, indomitum, artium omnium ingenuarum egenos, ignotum esse. Pauperes quoque Britanni, qui arando et occando se committere consuerunt, elegantiarum omnium ignari, rarissime in Phthisin incidunt. Fatendum est equidem gentes excultas, artiumque luxui ministrantium doctas, sibi semina hujus morbi non medicabilis insevisse. Celsus ejusdem rei non ignarus erat: Græcos retulit unâ cum artibus, novos quoque morbos ad Romanos transtulisse. Addit insuper, "hinc multiplex ista medicina, neque apud nos, neque alias gentes necessaria, vix aliquos e nobis ad senectutis principia perducit."[3] Non admirandum est hodiernos se epulis et vino

---

[1] Vide Beddoes on Consumption.

[2] Vide Med. Enq. & Obs. vol. 1. p. 159.

[3] Celsus de Re Medicâ, Lib. i.

dedentes, majorum moribus exutis, degeneres, curtos et imbecillos factos esse. Hæc conditio corporis, nempe, "constitutio infirma, debilis et tenera" præcipue Strumæ causæ habenda est. "In scrofulosis occurrit solidorum corporis debilitas, laxitasque, talis debilitas sive connata sit, sive acquisita, tum ad causas scrofularum prædisponentes pertinent, tum vitio scrofuloso jam in corpore exorto atque confirmato, indies augetur."[1]

Jure obsolevit ista opinio de *lymphæ* acriore Strumæ genetrice. Latebit in tenebris intima ejus natura, dum leges, quæ corpora viva regunt, non erint patefacta. Verisimile est antiquos usos esse cibo plus alituro, fortiore, et carnium abundantiore, quam recentiores; porro tempora cibi et somni, quæ illi sequerentur, naturæ, et servandæ secundæ valetudini accommodatiora fuisse. Quibus-

---

[1] Kortum de Vitio Scrof. p. 1. sect. iii.

dam placet aquam ferventem foliis Theæ Indicæ affusam, quotidie epotam ubique Britanniæ, ad ventriculum et inde totum corpus infirmandum, eoque ad Strumam inferendam, operam contulisse. Quibus assentior; nisi quod ipsi aquæ fervidæ, non herbæ, perniciem tribuo. Nec oblivisci oportet, Britannos, ex quo Theam quotidie ingurgitare assueverit, a cibis fortioribus salubrioribusque, quos abavi sumpsissent, quodammodo abstinuisse. Recentiores membra ambulando aut currendo exercent, longe rarius quam consueverint patres: Neque ratio obscura. Quam plurimæ artes, negotia, quæstus, majoribus ignotæ, artifices totum fere diem residere desiderant. Antiqui profecto corporis exercitationem tanti fecerunt, ut quosdam morbos ea unica curare consueverint; et ejus ope senectutem virentem egerint.

Ludi isti literarii, in quos impuberes, relictis parentibus, pacto pretio accipiuntur, (nos

trorum temporum heu! dedecus) proculdubio hunc morbum increbrescere fecerunt. Infantes enim miseri angusto loco conclusi, parum exercitati fiunt; et frugibus, iisque parcis, fere aliti, animo corporeque languent; seminaque, ehu sæpius! hujus pestis, serius ocyus occisuræ, sibi inde adsciscunt. Quæ usus quotidianus comprobat. Vestes istæ tenues et sericæ, quas mulieres nostrates, maximeque nobiles aut claro loco natæ, ad formam ostentandam, nunc temporis induunt, Græcas tabulas et statuas imitatæ, et cœli Britannici varii immemores, *Catarrhum* et *Phthisin*, ipsamque necem iis sæpenumero intulerunt.

Consuetudo ignes grandes in focis conclavium hyeme accendendi, complures phthisi implicuit, ob frigus et æstum inde vicissim occupantia. Hæc nostratum fere propria est. Mulieres Britannicæ semet multis noxis debilitatricibus infirmant; quales sunt vigilia per noctem multam, vestitus arctior, motum æ-

qualem sanguinis impediturus; ad quam causam equidem Spigelius Phthisin in Anglia frequentiorem refert. "Ineptum," inquit, "et ultra fidem perniciosum illud studium, quod fere virgines adhibent, ut junceæ videantur, loris, et mortifero artificio pectus in angustias cogentes, ignaræ, se angustando thoracem, januam tabi, marcorique aperire."[1]

"As when the chilling east invades the spring,
"The delicate Narcissus pines away
"In *hectic* languor, and a slow disease
"Taints all the family of flow'rs, condemn'd
"To cruel heavens. But why, already *prone*
"To *fade*, should beauty cherish its own bane?
"O shame! O pity! nipt with pale quadrille
"And *midnight cares*, the bloom of Albion dies."[2]

Eodem spectant liquores ardentes, *alcohole* nempe imbutissimi, nunc apud Britannos, et potissimum urbanos usitatissimi; qui instru-

---

[1] Spigelii de Hum. Corp. fab. l. i. cap. ix. p. 23.
[2] Armstrong on Health.

menta concoquendi resolvendo vires labefaciunt, et ita strumam et phthisin facessunt. Variola e gentibus orientalibus ad hanc insulam aliasque partes Europæ traducta, causa est, quæ phthisin longe lateque disseminavit. Sperandum est igitur *vaccinam* simul atque alteram penitus fugaverit, et in exilium miserit, Strumam et propositum morbum quoque extincturam; cujus tamen eventûs boni hucusque ne vestigium quidem apparet.[1]

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

INTER noxas hujus morbi excitatrices recenseri consueverunt apud libros medicorum, *Hæmoptysis, Asthma, Struma, Morbus Veneris,* et alia quædam malorum genera, sed multo

---

[1] Abernethy on Diseases of Digest. Organs, p. 158—etiam Jenner, Obs. on Variol. Vaccin. p. 43.

sæpius, ubi Phthisis hos morbos sequitur, a tuberculis exoritur. Idem interdum dicere licet de *pneumoniâ* et *catarrho* prægressis. *Tubercula* nimirum prius inhærentia pulmoni, exinde inflammantur et exulcerantur. At minime semper ita res se habet ; nôsse simul juvat hos morbos tam raro non ea ratione Phthisin moliri, ut exempla rei tam singularis notatu omnino sint indigna.

Catarrhus, nec injuria causa præpollens existimatur. Cœlum nostrum, nulla fere anni tempestate, non humidum, frigidum et instabile, halitum quem cutis arteriæ spirare debent, supprimit : quo fit ut humoribus intus conversis, membrana fistularum animæ inflammetur, et ejus vasa et glandes plus æquo pituitæ glutinosæ profundant. Natura per se medicatrix hanc tussi concitanda ejicere nititur ; quæ tubercula eo irritat, ut demum inflammentur, et exulcerentur. Aliquando *catarrhus*, pulmone tuberculorum puro, Phthisin

genuit; scilicet membrana interior animæ canalium prius inflammata, deinde exulceratur, in corpore propenso.

Pneumonia tuberculis exasperandis quoque hunc morbum induxit. Quidam sane auctores affirmant se nunquam pulmonem, ex inflammatione prægressa, *vomicis*, id est abscessibus in Phthisin abituris, obsessum conspexisse, quin iis tubercula insiderent; in quæ verba jurare nequeo; *vomicas* enim tuberculorum expertes omnia signa morbi, de quo agitur, propensis corporibus intulisse, docuerunt viri summæ fidei.

Asthma, quoties Phthisin arcessit, pari fere ratione molitur. Inter accessionem, tussis, spirandi difficultas, &c. tubercula, si adsint, inflammari et suppurare faciunt. Quibusdam enim hydrope pectoris, aut apoplexia necem parat.

Morbus veneris viro proprio pestilente nititur; quod corpus universum, maximeque

pulmonem turbat et incitat. Pari ratione, præparata ex argento vivo ad hunc devincendum sumpta, tanto facta sunt irritamento, ut tubercula facta exulceraverint.

Exanthemata, et præsertim *variola morbilique* tubercula aut excitare, aut intus hærentia inflammare comperta sunt ; id est, si corpori Struma tincto accedunt. Morbilli id facere, præ cæteris morbis, quibus cutis efflorescit, habentur. Corporibus Rubeola jam absumptorum sectis, pulmo tuberculis exiguis referciri inventus est ; quæ, ut videtur non mutata plures annos traxissent, dum *catarrhus* aliave noxa similis ea incitaverit. In aprico est igitur *Rubeolam* sæpe noxæ excitanti fieri, efficiendo ut inflammatio pulmonis quæ subinde cutem deflorescentem excipit, tubercula prius inertia accendat, et ad suppurandum impellat.

Acria cum anima in pulmonem delata, de quibus jam retuli, huc quoque spectant.

Tibia canere, aliove uti instrumento musico, quod pulmonem exercet, aut concubitu, vino gulave nimiis, corpus stimulare et exhaurire, eodem rite accedit.

DE CAUSA CONTINENTE.

De causa continente vel proxima aliter alii senserunt; unde aliæ curandi rationes apud alios valuerunt. Plerisque tamen persuasum fuit, pulmonem exulceratum Phthisin continere: Quod demum, incisis cadaveribus, unico modo causas morborum abditas patefaciendi, docti sumus. At vero lugendum est, ita cognita fabrica vitiosa partis, non continuo patescere naturam actionis morbidæ. Hinc factum est complures hallucinatos opiniones et rationes ineptas finxisse, quo signorum causas melius exponerent. Nonnulli opinati sunt pus excreatum non ab ulcere provenire

non posse: Et ulcus frequentius sputum purulentum progignere, non dubitandum. Alii autem perhibuerunt ulcus pulmoni inhærens haudquaquam tali sputo facessendo necessarium esse; imo vero ipsam Phthisin, pessimis notis insignitam, pulmone non exulcerato, apprimere posse. Exempla hujus rei ediderunt viri præclari, Mortonus,[1] Villisius,[2] et De Haen:[3] at non rationi ejus, quam proposuerunt, fidem habemus. Bonetus ait, "puris sputum non semper esse *pathognomonicum*, nec ulcus pulmonum semper sequi."[4] Hunter luculenter monstravit, membranas eodem officio, quo glandes, perfungi posse; id est non exulceratas pus secernere: Opus esse autem ut prius inflammentur. Hewsonius

---

[1] Phthisiologiæ, lib. iii. cap. 14. versus finem.

[2] Pharm. Rational. Pars. ii. sect. i. cap. 6.

[3] Ratio. Medendi, cap. vii.

[4] Sepulchretum Anatomicum, lib. ii. sect. vii. obs. 96. et sect. v. obs. 16.

porro literis mandavit, capsulam cordis ulceris expertem pus intus inclusisse.[1] Nec minus veri est simile, pus alicubi pulmonis ulcere destituti fieri posse. Limites vero, qui disputationem hujuscemodi finire solent, longe transgrederer, si fusius de rarioribus istius generis, dissererem. Clarissime enim jam demum innotuit, per longe plures ægrotos, ulcus aut pleraque ulcera tuberculis inflammatis profecta, Phthisin Pulmonalem continere. Nunc ad tubercula ipsa consideranda transibo.

Aretæus notas hujus morbi insigni accuratione descripsit; neque causam continentem prorsus nescivisse videtur: inquit, Ην εντὸς ἔξ ἀποϛασιος ἐν τῷ πνεύμονι γένηται, ἢ ἐκ βηχός χρονίης, ἢ ἀναγωγῆς αἵματος, καί ἀναβὴσσῄ πύον, πύη, και φθίςις κικλήσκεται.[2] Sydenhamius primus om-

[1] Hewson on the Lymphatics, p. 117.

[2] Aretæus Cappad. Βιβ. α. κεφ. η. περι φθίςιος.

nium inter recentiores, Phthisin Strumæ cognatum esse intellexit; quam opinionem hacce oratione protulit. "Quibusdam eorum, qui ex equitationis usu convaluerunt, tumor in collo exortus est, non multum a scrophula abludens."[1] Celeber ille Mead idem sensit;[2] et inter hodiernos Doctor Simmons profitetur se inter cadavera hoc malo occisorum incidenda, nunquam non tubera *Strumosa* reperisse.[3] Sunt equidem medici fide dignissimi, qui e centenis Phthisi Absumptis, ad minimum nonaginta Struma laboràsse, proponunt. Ex supra narratis, liquet tubercula Struma inniti et provenire; et inde fieri ut *Strumosi* præ aliis huic malo objiciantur.[4]

Tubercula nondum inflammatione tentata

---

[1] Sydenhami Opera, 639.

[2] Monita et præcepta Medica, sect. x. p. 28.

[3] On the Treatment of Consumptions.

[4] Hamilton on Scrof. Affect. p. 27. etiam Kortum de Vitio. Scrof. p. 276. vol. ii.

sunt corpora globosa, facei et intimis penetralibus pulmonis infixa. Mole variant, modo perexigua, modo semidigitum crassa. Fere conferta sunt; interdum candida; non minus concreta sunt quam cartilago. Si scalpello secantur, faciem sibi præferunt interiorem lævem, splendentem, adinstar cornu caseive, et cellis vacant. Dr Stark,[1] periculis summo ingenio et diligentia institutis, vasa et nervos haud ulla deprehendere potuit: Unde tubercula glandulas Struma vitiosas non esse, satis constat. Quædam ex tuberculis grandioribus hiatum spinulæ accipiendæ capacem, ostenderunt; per quem, digito premente manaret natura corrupta, et coacta. Tubercula exulcerata cava pure malo referta intus habent; quæ sensim, progrediente suppuratione, adaugescunt. Tum demum sacci exigui puris pleni fiunt, et *vomicæ* rite

---

[1] Vide Stark's Works, p. 20. et seq.

nuncupantur. Amplissimæ ex his, ope foraminis cum animæ tubis committuntur; et ita pus extussitur. Aër hoc hiatu facto in vomicam delatus, violenter irritat; facitque ut puris amplius ex ulceris ambitu secernatur, et ipsum ad partes vicinas dispergatur. Hac ratione omnes fere vomicæ coëuntes pulmonem tantum non integrum exedunt. Pene unumquodque tuberculum serius ocyus in *vomicam* abit; et pulmo Phthisi jugulati alia dura, alia inflammata, alia exulcerata exhibet. Maximæ *vomicæ* vix quatuor pollices longiores existunt; et ovatæ sunt: Minores integræ esse consueverunt; at majores diruptæ, maxima ex parte inanes reperiuntur, capsula tantum superstite. Pus conclusum sæpius fœtet, initio saltem, et colorem induit inter viridem et flavum medium. Ut plurimum pars summa et postica pulmonis tuberculis et vomicis potissimum corrumpitur; et lævus dexteriore frequentius. Vomicæ inæquali facie instruc-

tæ sæpe diruptæ pus in pectus effundunt; unde constituitur *empyema*. Pluræ etiam cohærent, juxta abscessus grandiores.[1]

Pulmonis partes tuberculis conterminæ firmæ, duræ et rubriores spiritu amplificari nequeunt. Vasa pulmonis ad vomicas majores jam prope accedentia subito coarctantur, et pituita referciuntur. Quo mirabili artificio natura provida fluxum sanguinis lethalem præcavet. In quibusdam exemplis, vix amplius tertia pars pulmonis exeditur: alias, alter ex iis penitus consumitur, aut perexigua saltem pars superest, aëri accipiendo idonea. Aliis infelicioribus, uterque pulmo in pus conversus evanuit, tamen, dictu mirabile! aliquamdiu vixerunt ægri ita tentati: Bennetus[2] exemplum hujusmodi perinsigne memoravit. Glandes *lymphaticæ* imæ asperæ arteriæ sub-

---

[1] Stark's Works.

[2] Theatrum Tabidorum Exercit. XXII.

nixæ, et illæ *mesenterio* implicitæ, sæpenumero intumescunt. Morgagnius[1] pulmonem in massam corruptissimam conversum, deleta fabrica sana, reperit. Calculi variæ molis subinde tuberculis insunt, propria et vitiosa arteriarum actione geniti. Nonnunquam, at rarius, tubercula fabrica interiore Steatomata simulantia inventa sunt; quæ nunquam, quantum adhuc constiterit, exulcerantur.[2] Quoniam corpore refrigerato, halitus cutis reprimitur, vasa quæ spirant halitum e pulmone plus æquo turgebunt; ideoque ad inflammationem subeundam propensa fient. Hinc fistulis animæ pituitâ refertis, catarrhus efficitur; qui graviori fit irritamento. Vasa absorbentia frustra enituntur ut humorem congestum subducant; qui igitur partim ostiis arteriarum, quarum est profundere, par-

---

[1] De Sedibus et Causis Morborum, Epist. 22. Art. 7. et 12.

[2] Baillie's Morbid Anatomy, p. 37.

tim vasorum absorbentium inhærens, fit natura concreta, neque huc, nec illuc dimovenda, vasis nempe impotentibus. Hæc aliquamdiu uni loco infixa tandem quasi in corpus alienum vertitur; quod una cum tussi valde irritat, et serius ocyus, ut opinor, *tuberculo* mutatur; certeve ejus futuri centrum constituit. Tuberculum iners ita confectum diu non mutatum subesse potest, dum quævis e noxis incitatricibus admota inflammaret. Ita igitur tubercula creari propono, in corporibus, quibus natura fibras infirmas et laxas inseverit, præsertim generis absorbentis; quo efficitur ut vasa absorbendo dicata humoris congesti accipiendi aut projiciendi impotentia sint. Huic opinioni aliquid fidei conciliare videtur experimentum subjiciendum. Doctor Saunders[1] duas drachmas argenti vivi in venam canis *crulalem* infudit. Paulo post,

---

[1] Saunders on the Liver, p. 236.

animal febricitavit, tussivit, ægre spiravit; et quotidie notis pulmonis affecti ingravescentibus, obiit. Pulmo, secto cadavere, tuberculis totus oppleri apparuit; quorum singula incisa particulam argenti vivi in medio exhibuerunt.

Sequitur ut causam *febris hecticæ* explicare coner. Culleno,[1] hujus Academiæ decori immortali placuit, pus acre in sanguinem ope vasorum absorbentium delatum, vires motrices labefactâsse, cor arteriasque irritâsse, eoque febrem hecticam accendisse. Nec aliud senserunt Mortonus, Barry, et Simmons. Hæc opinio apud plerosque ablegatur. Si vera esset, exulcerationes graves alicubi corporis eam febrem semper arcesserent; quod longe aliter se habet: Quinetiam si vera esset, febris proposita nullo ulcere, sævire non posset; accedit tamen, *tabe mesenterica* aliis-

---

[1] First Lines of the Practice of Physic, 861-2.

que malis Struma oriundis, duritie pulmonis et cætera urgentibus, nec pure facto. Ulcus exiguum digiti, et fistula in ano, ubi pauxillum puris adest, pessimam hanc febrem progenuerunt. Eadem interdum *Diabeticos* torsit; pulmone exulcerato defuit. Dr Reid[1] opinatur *febrem hecticam* ex humoribus superfluentibus, eo quod pulmo minus halitus spirat, oriri. Quod plane eum fefellit; siquidem alvi fluxus et sudores vasa satis vacuefaciunt. Pus vomicis inclusum nihil acris aut veneni in se habet, constat insuper idem impune resorberi posse; abscessus enim alicubi sua sponte sine ulla pernicie evanescunt. Malo igitur hanc febrem, Phthisis Pulmonalis comitem, ad assiduam exinanitionem istam, quæ corpus continenter irritat et infirmat; et quæ mala febris ipsa

[1] Essay on Consumption.

frustra summovere nititur: Vel si mihi verba Hunteri citare liceat, "The constitution becomes teazed with a complaint which is disturbing the necessary actions of health; there is besides, the universal *sympathy* of the constitution, with a disease which gives the irritation of being incurable."[1]

DE CURATIONE.

CONVENIT inter fere omnes medicos, hunc morbum vel jam incipientem et leviorem perraro sanitate mutari posse; eundem vero jam inveterascentem et diuturnitate confirmatum, pertinacem omnibus medicinæ auxiliis obniti. Neque vero ideo minus nitendum; spes enim superest, nunc incipiente morbo. Proinde medici est summa ope insidias hujus

[1] Hunter on the Blood, &c. chap. ix.

mali inëuntis perscrutari, et signa vel mitissima, si corpori natura proclivi contingant, non parvi facere; quo perniciem venturam arceat et præcaveat. Totam sane curationem hæcce consilia amplectuntur.

I. Sedulo cavere, ne Struma infectis tubercula in pulmone gignerentur.

II. Noxas excitantes tollere.

III. Prohibere ne tubercula genita inflammentur; efficere, si fieri possit, ut resorbeantur, et ut ulcus in pulmone sanescat.

IV. Signa molesta per totum morbi decursum sedare.

I. Quibus notæ jam propositæ *Phthisin* incipientem minitantur, hos omnigenum luxum et intemperantiam, dapes, vinum, libidinem, fugere oportet. His temperate vivendum, et quotidie citra sudorem ambulandum sub dio.

Dr Beddoes[1] equidem præcepit, carnibus optime proclives ad hunc morbum vesci ; quas præcavendi facultate præditas existimavit : eo quod compererat laniones, et fidium nervorum fabricatores, qui carnibus potissimum vivunt, rarius in *Phthisin* incidere. Attamen fruges carnibus accedere debent. Quo minus tubercula facta inflammentur et exulcerentur, omnia vitanda erunt, quæ spirandi instrumenta exasperent. Hunc in finem non vocitandum, non canendum aut voce unica aut tibia. Omnia loca magna hominum multitudine referta, spectacula, ludi, scenæ, præsertim noctu, ubi aër focis ardentibus et lucernis calet et inquinatur, magis angue et cane evitanda. Non diu legere aut scribere oportet ; quippe quæ corpus inclinari et quiescere desiderant ; maximeque cavendum a frigore, summa pernicie. *Catarrhus*, noxa excitans

---

[1] Essay on Pulmonary Consumption.

creberrima, summa arcendus est cura. Ne cœlum varium Britanniæ proprium noceret, intima vestis ex panno laneo conficienda. Hyeme æger non vicissim se igni ingenti et Jovi pruinis malo committere debet. Quod si, his præceptis rite servatis, obrepat tamen *Catarrhus*, mature facto opus erit, et summa ope nitendum, ut iste inimicus quam celerrime debelletur. Si sanguis e naribus prorumpat, omnia irritamenta subducere oportebit. Si *Hæmoptysis* accedit, singulis medicinæ auxiliis, quo minus recurrat, utendum. Si *Asthma* alicui *Phthisin* venturam minitetur, sedandum, aut si fieri potest, divellendum est.

Si difficultas spirandi, tussis, dolor lateris, febricula et arteriæ concitatæ, corpusque simul plenius tubercula jam inflammata esse indicent, sanguinem subinde, incisa vena, mittere juvabit; unciæ XII. aut XV. una vice eliciendæ. Hoc fieri debet, dum arteriæ bene conciderint, aliaque signa inflammationis

fere conquieverint. Sanguis detractus, per totum hujus morbi decursum, tunicam corio similem exhibet. Exulceratione tamen jam facta, vena non secanda est. Doctor Dover venas vacuefacere solebat, ab initio fere ad ipsum finem. Dom. Watt nuper eandem curationem paulo amplius secutus est; nimirum, non prius sanguinem mittere cessat, quam febricula accensa renixum cordis et arteriarum denunciaverit. Tunc misso hoc auxilio, victum tenuissimum et præparata ex *hydrargyro* præcipere solet.[1] Alvus nunc solvenda; et quotidie semel ad minimum descendere debet. Hunc in finem nihil aloë et salibus mediis præstat. Inflammatione perstante, lacte et farre præsertim victitandum; nihil pene carnis sumendum, et singula, quæ ad *regimen antiphlogisticum* pertinent, servanda.

---

[1] Watt's Cases of Diabetes and Consumption, p. 305, et seq.

Exulcerantia. Ne tubercula suppurent, partem pectoris dolentem emplastro *meloes vesicatorii* exulcerare proderit. Hoc persæpe universa signa valde lenivit; simul atque ulcus ita factum sanescere incipiat, novo emplastro admoto, irritari debet. Ulcus porro conficere, ope pisi unguento *meloes vesicatorii* illiti, aut fili gossipini, cuti infixi, aut cujusvis exurentis, utilissimum est, et non prætermittendum, quoties latus acute dolet.

Digitalis purpurea. Hæc herba est inter novissima remedia in *Phthisin* exquisita, et laudes æquo ampliores sibi tulit. Dr Withering[1] primus omnium medicos ejus virtutes docere conatus est; et non nisi ad facultatem, qua pollet, urinæ ciendæ respexit. Multi multa senserunt de hujus plantæ dotibus, et ratione, qua proficit; de quibus inep-

[1] Account of the Foxglove, ed. 1785.

tiis silere malo, quam sermonem inutiliter ampliare. Ea opinione contentus ero, quam usu medici scientissimi comprobarunt; qui perhibent folia *Digitalis purpureæ* mira prædita esse potestate cor, arterias et genus nervosum sedandi. Neque vero affirmare audeo hoc medicamentum, simul atque ingeritur, hos edere effectus; imo verisimile est idem principio incitare. Quomodocunque tamen id se habeat, constat vim sedatricem non multo postea patere. Minime *Digitalis* nunc priori famæ respondet. Unus equidem auctor non dubitavit scribere, si *Phthisis* in quatuor partes seu *periodos* dividitur, hanc herbam omnes, ultima excepta, per se fugare posse.[1] Jam ineunte morbo, si vires sanguinem mitti non sustinent, rite conceditur; et alias auxiliari potest. *Phthisi* confirmata, febrem hecticam consopit, arterias concitatas tardat, nau-

---

[1] Beddoes's Essay on Consumption.

sea cienda sputum movet, et pulmonem exulceratum purgat; et fortasse efficit ut pure resorpto, ulcera sanescant. Si Digitalis paulo largius datur, delirium, vertiginem, dormiendi cupiditatem molitur, et vires resolvit: pauxillum vini et *ætheris* hæc mala fugabit. Dr Drake[1] *acidum citricum* hunc in finem potari jubet. Summa igitur prudentia opus est quo herba proposita rite ministretur. Concretæ et in pulverem redactæ semigranam sapone aut *gummi-resina Ammoniaci* mixtum bis quotidie sumi potest, copia sensim aucta usque ad grana tria. *Tinctura* autem pulveri antecellit; præcipue quam Collegium Edinense protulit; incipiendum ex guttis IX. aut X. bis indies epotis; modus gradatim ampliari potest, donec guttas XV. XX. aut XXV. æquaret; et prout arteriæ et ventriculus sustinere possint. Cavendum ne tantum inge-

---

[1] Med. and Phys. Journal, vol. ii. p. 419.

ratur, ut motus arteriarum admodum tardentur. Quibusdam ægris quam celerrime Digitalis hoc incommodum infert; aliis, non nisi postquam aliquamdiu prætermissa fuerit. Oportet quoque subinde intermittere, né ventriculus consuetudine ea vacare nequeat. Quæcunque sint ejus vires, et quomodocunque juvet, manifestum est eam eo utiliorem fore, quo maturius adhibeatur. Si notæ tubercula subesse denuncient, statim, servatis legibus, quas proposui, cum fructu sumitur. Motus arteriarum, dum hæc herba accipitur, pro situ corporis variant.[1]

Cognita causa continente hujus morbi, inducimur ad consilium summi momenti instituendum; nempe ad nitendum, ut tubercula resorbeantur. At vero quibus rationibus hoc efficeretur, latet, ni fallor, et latebit, dum ars medendi novas luces, adhuc desideratas, acce-

---

[1] Vide Edin. Med. and Surg. Journal, vol. iii. p. 271.

perit. Nullum medicamentum tali vi præditum in manibus est; quod si quid esset, minime morbum propositum penitus arceret, nisi Strumam quoque radicitus divellere posset.

Vomitus. Siquidem inter vomendum totum corpus vehementer exagitatur, et cor arteriæque concitantur, medici opinantur vasa resorbendo dicata quoque vomitu incitari. Multi igitur vomitum moliendo, tubercula resorberi posse sperant; et vir præclarus Dr Sam. Foart Simmons, medicus exercitatissimus, hæc edidit verba: "If any remedy is capable of dispersing tubercles, I believe it to be *Vomits*."[1] Alii scriptis mandarunt vomitum bis quotidie, certeve ter quaque hebdomada elicitum maxime profuisse, imo sanitatem reduxisse. At nequaquam vomitus frequentior mihi videtur recte cieri, qualem

---

[1] Simmons on Consumption, p. 66.

Dr Reid[1] præcepit; præcipueque in corpore debiliori. *Sulphas Cupri* leniter agit, parum ventriculum resolvit, aut ægrum fatigat; ideoque aliis anteponitur. Dr Marryatt[2] hoc *tartrite antimonii et potassæ* misceri, et concretum dari juvat. Lenius vero, ni fallor, liquatum ventriculum solicitat, et minus corpus irritat.

Antiqui, præsertim Aretæus,[3] Celsus,[4] et Plinius[5] hoc malo ægrotantes navigando curare solebant; et summa laude hoc auxilii genus prosecuti sunt. Attamen parum intellexerunt, quomodo juverit. Usu docemur nauseam et vomitum motu navis oriunda, aëra circa maria puriorem et minus varium, ani-

---

[1] Reid's Essay on Consumption.

[2] Therapeutics.

[3] Loco citato. θεραπεια φθισιος κεφ. η.

[4] De Re Med. l. iv. cap. 4.

[5] "Navigatio utilis est Phthisicis———neque enim "Ægyptus propter se petitur, sed propter longinquitatem "navigandi."—*Hist. Nat.*

mumque simul scena novata recreatum, *Phthisin Pulmonalem* jam ineuntem mitigare, vel aliquamdiu pene arcere posse; imo interdum, at perraro, sanitatem reduxisse. Nondum constat, necne *murias sodæ*, quo aër marinus imbuitur, quicquid ad ulcus in pulmone sanandum conferat. Quidam existimant motum navis juvare, corpus leviter citra fatigationem commovendo.[1] Fortasse aër marinus, quoniam paulo acrior est, facit ut inflammatio in adhæsionem desitura ulcera sanaret. Ex his patet, morbo jam inëunte, navem conscendere utile fore; eoque magis, si æger simul ad Madeiram, Lusitaniam, aliamve terram cœlo tepido et sereno beatam se recipiat. Gregorius inter prælegendum memorat quendam quotannis se mari tempestate æstiva, et hyeme regioni calidæ committendo, plures annos salvum perstitisse. Cuicunque

[1] Gilchrist on Sea Voyages.

Struma tincto hic morbus instat, huic navigandum. Nihil vasa lymphatica stimulandi potentius est, excepto sane hydrargyro, quo uti non licet.

Ulcera sanare, heu! difficillimum est; siquidem pulmo continenter ampliatus et coarctatus ea assidue irritat.[1] Alii negant ulcera hac de causa insanabilia esse; aiunt enim pulmonem sua natura perpetuo moveri, uti aliæ partes natura quiescunt; ideoque motum non magis illum, quam quietem has stimulare. Cui opinioni vix assentior; quinetiam, aliquid medicaminis ulceri pulmonis admovere perdifficile est. Comprobatum fuit tamen, idque ab auctoribus summæ fidei et nominis, ægros, exulcerato pulmone, omnibusque *phthisis* inveteratæ notis implicitos convaluisse.[2] Mudgius, in opere de *catarrho* con-

---

[1] Vide Haller. Physiol. l. viii. sect. 4.

[2] Vide Transact. of a Society for the Improvement of Medical and Chirurgical Knowledge, vol. ii. p. 169.—" Corpus incisum est, in quo vulnus pulmonis glutinatum erat."

scripto, narrat quendam eadem confirmata tentatum salutem recepisse, et multis annis posthac morbo alieno periisse. Corpore mortui inciso, pulmo dexter evanuisse apparuit, sinistro superstite. Vulnera gladiis, tormentis, &c. illata sæpe facile sanescunt; et hodierni aliquando, sed rarius tubercula in corpore strumoso sanitate mutari testantur.

Quod ad varia genera aëris, quæ chemia nuper nobis admirantibus obtulit, Dr Beddoes[1] aliique hæc acriter adhibuerunt; at usu docti fateri cogimur, eadem nihil prodesse. Verisimile est vaporem aceti, aut aliqua ex *gasibus* incitantioribus dilutiora, in fistulas animæ accepta, adhæsionem efficere, et ita ulcera sanare posse; nimirum, gas *acidum muriaticum* aut *nitricum*, vel *gas oxydum nitrosum*, aëre circumfluo dilutum, ne nimium incitet. Quiete præcipue opus est, ut sanescat ulcus. Medicamina, qualia *balsamica* et

---

[1] Beddoes and Watt on Medical Use of Factitious Airs.

expectorantia vocantur, nil valent; non nisi ventriculum inutiliter gravant. Ad fauces mulcendas et tussim sedandam, danda erunt *trochisci glycirrhizæ cum opio, tinctura opii camphorata* et omnia glutinosa; quoque inhalandus vapor aqua tepida exortus. Somni *opio* vel *hyoscyamo* vel *Lactucario*[1] ægro conciliandi. Sputum præparatis e *Scilla Maritima* eliciendum. Si alvus ad finem vehementer fluit, *magnesia*, *extracto mimosæ catechu* et opio continenda est. Quæ parcius concedi debent, ne sudor, alvo suppressa, superveniat. Potus aciduli, *citrus medica*, *citrus aurantium* et alia ejusmodi, *acidum* quoque *sulphuricum dilutum*, sudores bene discutiunt. Si cutis præter modum caleat, manus et faciem aqua frigida crebro lavare juvabit. Gregorius narrat quandam ad sanitatem rediisse, fructu *citri medicæ* largius quotidie devorato. Si fauces *aphthis* efflorescant, *sub-borate sodæ*, aliisque

[1] Duncan on Consumption. Appendix.

astringendi facultate præditis, gargarizandæ sunt.

Cœli Mutatio.—Medici compererunt plures ægros, qui Britannia relicta, ad regiones cœlo æquali, placido et tepido donatas migraverint, penitus ad valetudinem secundam rediisse. Optimas igitur terras exquirere permagni interest. Nonnulli insulas perniciosas judicant: hinc medici Italici ægros ad loca mediterranea confugere monent. Anceps dubito necne experientia satis hoc confirmaverit. Cœlum tepore æquali præditum, quippe quod cutis halitum et alia excernenda leviter promovet, admodum *Phthisi* vexatos recreat. Madeira hujus modi cœlo et tempestatibus, præ aliis orbis terrarum partibus, fruitur. Medicus insignis Gulielmus Heberden, qui quatuordecim annos ibi vixerat, nos certiores facit argentum vivum instrumenti Farenheitani umbræ subjecti nunquam ascendisse ul-

tra gradum LXXIV[tum] nec unquam descendisse ultra gradum LIV. Cœli temperiem tam æqualem vix alicubi terrarum orbis invenire licet. Regiones, quæ circulo æquinoctiali gradus XXXII aut XLIV distant, aëris tepore minime variante pollent. Madeira autem huic circulo distat gradus XXXII, minuta XXXVII; quoad longitudinem, Grenovico gradus XVII distat. Temperies ejus cœli quatuor annis sedulo observata fere gradu LXVIII[vo] indicabatur; qualis fere semper huic insulæ contingere cognoscitur.[1]

Dr Adams[2] inquit neminem *Phthisi* affectum, si mature huc se recipiat, non salvum fore. Loca quæ proxime Madeiram laudantur sunt Ulyssippo, Insulæ Bahamæ et Canariæ, Nicæa, Mons Pessulus. At bella, quæ Eu-

---

[1] Vid. Kirwan on the Temperature of different Latitudes —Confer etiam Philos. Transact. Ann. 1752-4.

[2] Med. and Phys. Journal for April 1800.

ropam vastant, vetant quo minus Britanni multis regionibus exoptandis perfruantur; qui ideo ad Devoniam, et quasdam Cornubiæ partes eunt. Si res angustæ aut alia causa ægrum peregrinari non sinunt, aër domi arte tepefaciendus est. Ita ægrotus imbribus et pruinis circumjectus securus vivit; et complures hoc præsidio fato erepti sunt. Dr Beddoes primus omnium hanc curationem excogitavit. Quibus *Phthisis* incipiens jam prodit, hos oportet degere in conclavibus spatiosis, quo se ambulando exerceant; quorum temperies nocte dieque gradu LX^mo^ aut LXVIII^vo^ instrumenti Farenheitani notetur. Cavendum est ab omnibus causis, quæ subito teporem intendant aut minuant; quem in finem non igne, sed aquæ vapore, aut aëre calefacto per fistulas immisso conclavia tepefacere oportet: tota hyeme æger sub his tectis commorari debet. Gregorius sua auctoritate hanc

curandi rationem fulsit. Dom. Urquhart[1] quendam ita sanavit; et Buxtonus[2] summam ejus utilitatem testatur.

Medici apud terram continentem Europæ *Lichenem Islandicum* amplissime ministrarunt. Vix nisi faucibus mulcendis, et ita tussi consopienda juvat. Folia *arbuti uvæ ursi* febrem et sudores mitigare feruntur.[3]

Exercitatio.—Sydenhamus motui corporis plurimum insistit; de quo sane ita scribit: "Sed omnibus aliis remediis (quotquot adhuc inventa sunt) *Equitatio* ad satis longa et diutina itinera facile palmam præripit." "Et hoc tamen sancte assero, quod neque mercurius in lue venerea, neque cortex peruvianus

---

[1] Edin. Medic. and Surg. Journal, January 1st, 1813.
[2] Med. and Phys. Journal, May 1813. vol. xxix.
[3] Vid. Bourne on the Effects of Uva Ursi in Consumption.
[4] Opera Omnia, p. 416. et 630. Ed. Lugd. Bat. 1726.

in intermittentibus, efficaciores extent, quam in Phthisi curanda exercitium jam laudatum." Auctoritate tanti viri fretis sperare nobis licet, hoc auxilium admodum profecturum esse. Minime vero omnes huic medico præclaro assentiuntur. Dr Carmichael Smyth[1] utile esse proponit, ut ægri in sella pensili moverentur; quos vero ita curavit, iis cutem emplastro *meloes vesicatorii*, aliisque ad eam rem idoneis, exulceravit. Id tamen exercitii genus lædere nequit; et ad minimum animos recreat. Moveri citra fatigationem omnibus ad *Phthisin* propensis opitulatur, sanguine nimirum æqualiter per vasa distributo. Lac asininum et caprinum leniter alvum solvit, et corpus alit; nec ægre concoquitur: ideoque pars victus præcipua esse debet. Cibus concoctu facilis, qui satis nutriat, et non præter modum calefaciat, optimus est. Signa

---

[1] On the Use of Swinging in Phthisis Pulmonalis.

enim mitigat, certeve non exasperat, et vitam magis tolerandam reddit. Talis victus aëri artibus supra dictis calefacto accedens morbo venturo occurrere potest. Vinum, malis inveteratis, rite adjicitur. Quibusdam nuperis placuit roborantibus et victu opimo uti : quæ morbo inëunte, certe non conveniunt. Si arte medica frustra renitente, misero demum pereundum esse constet, medici erit, notis molestioribus quam maxime levatis, morituro quietem et solatium, quoad vivit, conciliare.

FINIS.